mae a. *emergens* et b. *denudata* revera non sunt varietates proprie sic dictae, sed tantum status memorabiles thalli, quam ob causam literis romanis a et b, nec graecis designatae sunt.

Pyrenula microscopica, thallo tenuissimo leproso olivaceo-cinerascente v. obsoleto; peritheciis arciminutissimis globosis basi immersa haud peripherice dilatata obiter truncatis vertice integro demum late urceolari-collapsis atris, paraphysibus nullis, ascis e basi peritheciorum suberectis cylindricis 8-sporis solutione aquosa Jodii aureo-fuscescentibus, sporis 11—13 mikr. longis $2^1/_2$—3-plo longioribus quam latis ellipsoideo-fusiformibus utrinque obtusiusculis 4- v. rarius 6-locularibus hyalinis v. pallide fuscescentibus. — In ramulis junioribus Juglandis regiae prope Veyrier ad pedem montis Salève. — Perithecia quam in „*Arthopyrenia*“ *atomaria* minora, vix nisi lente acri discernenda, madida aterrima et facilius visa. Asci 45—50 mikr. longi, flaccidi. Sporarum forma ut in *Pyrenula Coryli* Mass. (Hepp Abbild. d. Spor. d. Fl. Eur. t. 54. fig. 465. v. Fl. Eur. n. 465) sed utroque latere tamen minus late rotundato-obtusae saepe leviter incurvae. Species forte vulgaris sed ob summam minutiem praetervisa.

Addenda quaedam ad lichenographiam Novae Zelandiae. Scripsit W. Nylander.

1. *Leptogium dendroides* Nyl. — Thallus plumbeus, stipite teretiusculo et ramis intricato-divisis pallidis, stipitato-dendroideis ramosissimus (altit. circiter 8 centim.) stipite basi late nigricante. Apothecia haud visa. — In Nova Zelandia (ex herbario Montagneano, ubi sub „varietatibus“ diversissimis adest „*Stictae filicinae*“).

2. *Sticta glaucolurida* Nyl. — Thallus glaucoluridus vel fere nitidiusculus mediocris rigescens (crassit. circiter 0,25 millim.) obsolete inaequalis (vel versus ambitum praesertim leviter subscrobiculose impressus), laciniato-lobatus, lobis crenato-incisis, subtus fusco-nigricans vel partim ochraceo-pallidus tomento rhizineo tenui, pseudocyphellis citrinis; apothecia nigra mediocria, margine thallino integro cincta; sporae 8nae fuscae 1-septatae (rarius 3-septatae), longit. 0,021—27 millim., crassit. 0,008—0,011 millim. — Ad cortices in Nova Zelandia (Knight). — Prope *Stictam granulatam* in serie systematica locum habeat, sed affinis est *Stictae physciosporae*, a qua differt thallo sublaevi

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05982-0440-7

latius diviso et pseudocyphellis determinate citrinis, atque thallus faciem habet *Stictinae lutescentis* Tayl. vel *Gaudichaudii* Del.

3. *Sticta subvariabilis* Nyl. — Similis (quoad thallum) *Stictae variabili*, sed pseudocyphellis albis locum tenens prope *Stictam punctulatam*. Comparanda cum *Sticta multifida* Laur., at gonidia diametri 0,007—0,016 millim. — Sterilis in Nova Zelandia lecta a Domino Ch. Knight.

4. *Sticta homoeophylla* Nyl. — Similis *Stictae damaecorni* (vel aliis quibusdam ejusdem faciei quoad thallum), sed pseudocyphellis albis. Thallus flavidus vel flavido-pallescens firmiusculus (plagas 20 centimetra et amplius lata formans, laciniis latit. 5—8 millim.); apothecia rufa marginalia (latit. 2—5 millim.), margine thallino subdenticulato-crenato cincta; sporae incolores vel dilute fuscescentes 1—3-septatae, longit. 0,024—32 millim., crassit. 0,008 millim. — Ad cortices in Nova Zelandia (Knight). — Ante *Stictam punctulatam* disponenda. Pagina infera thalli fusca vel versus apices laciniarum ochraceo-pallescens, rhizinis subconcoloribus villosulus; cephalodia hypogena adsunt insignia magna subglobosa (diam. 0,2—0,3 millim.), quae nota jam sola ad hanc speciem distinguendam sufficit. Observetur simul, cephalodia (ante me nec definita nec anatomice cognita) vix nisi in Lichenibus gonidicis occurrere, non autem in gonimicis [1]).

5. *Lecidea subtenebrosa* Nyl. — Thallus obscure griseus vel cinereo-fuscescens subrugosus diffractus vel subareolato-granulatus determinatus; apothecia nigra vel rubenti-nigra mediocria (latit. circiter 1 millim. vel minora) planiuscula innata, margine tenui vel demum nullo visibili; sporae 8nae incolores

1) Notetur hic, „*Ricasoliam Montagnei*“ in Nyl. Lich. N. Zeal. (Linn. Soc. Journ. IX) p. 248 jungendam esse cum *R. adscripta*, specie distincta a *R. herbacea;* optimam notam *R. adscriptae* sistunt spermogonia infra (pagina infera thalli) semiglobose prominula, ostiolo supra punctiformi fusco (sed prominentia supra nulla). Definitio *Ricasoliae Montagnei* (Bab.) est haec: thallus glaucus vel passim glauco-rufescens leviter corrugatus vel obsolete scrobiculato-inaequalis aut sublaevis (latit. 12—24 centim.) tenuiter membranaceus (crassit. 0,10—0,12 millim.), lobis crenatis (margine interdum squamulas gerentibus), subtus fusco-nigricans versusque ambitum pallidus, nudiusculus vel versus ambitum leviter arachnoideo-tomentellus; apothecia nigra (latit. 2—6 millim.) sparsa, saepe conferta, margine receptaculari inflexo (saepe laciniato-coronato); sporae fuscae breviter fusiformes 2-loculares vel 1-septatae (physciomorphae), longit. 0,024—31 millim. — Thallus hypochlorite calcico rosee tingitur. Pseudocyphellae incertae minutae subclausae. Cephalodia pyrenodea parca. Spermogonia prominentiis thallinis parum prominulis pagina supera (nec infra).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05982-0441-2

ellipsoideae simplices, longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,0045 millim., paraphyses non discretae, epithecium fuscescens, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenea coerulescens. — Supra saxa in Nova Zelandia, Otago, ex hb. Jones. — Pertinet ad stirpem *L. parasemae* prope *L. incongruam*. Spermatia arcuata, longit. 0,020—23 millim., crassit. 0,001 millim. Ex facie externa fere *Lecideam tenebrosam* crederes, sed notis datis et thallo hydrate kalico rubricose tincto. A *L. polycarpa* distinguitur colore et rugositate thalli etc. Apothecia interdum tandem convexiuscula.

6. *Lecidea chalybeiza* Nyl. — Thallus obscure cinerascens minute granulosus vel subevanescens; apothecia nigra minuta (latit. 0,2—0,3 millim.) planiuscula vel convexiuscula, margine tenui vel obsoleto demum nullo; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,005—8 millim., crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses (non semper bene discretae) capitulo nigro, hypothecium fuscum. Jodo gelatina hymenea coerulescens. — Ad saxa schistosa in Nova Zelandia, Otago, ex hb. Jones. — Affinis *L. chalybeiae* Borr., sed sporis simplicibus et aliis notis nonnihil differens.

7. *Arthonia stictaria* Nyl. [1]) — Apothecia parasitica fusca vel fusconigra rotundata (diam. 0,5 millim. aut minora, rarius majora) convexiuscula; sporae 8nae incolores oblongae 1-septatae, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 00035—0,0045 millim., paraphyses vage indicatae, thalamium subincolor. Jodo gelatina hymenea vinose rubens. — Supra *Stictae auratae* thallum in Nova Zelandia (Knight).

Accesserunt simul nonnullae aliae species Lichenum, ut *Lecanora pachypholis* Nyl., *L. leucophaea* Flk., *Lecidea parasitica* Flk., *L. aeruginosa* Nyl., *L. decedens* Nyl., in Nova Zelandia obviae ex hb. rev. Leighton et alibi exponendae.

1) ***Arthonia subconveniens*** Nyl. est subsimilis *A. stictariae;* sed sporis longioribus, longit. 0,014—15 millim., crassit. 0,004 millim. Supra thallum ***Ricasoliae dissectae*** in Brasilia (Widgren).

Corrigenda.

p. 372. lin. 22 4-septata lege 3-septatae.
p. — lin. 31 8-septatae lege 3-septatae.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05982-0442-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1867

Band/Volume: 50

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda quaedam ad lichenographiam Novae Zelandiae 438-440